

neumque regnum cupit, illud sibi curandum intelligat, ut nullus Christianus notus nomine in suis finibus, aut sua sub ditione commoretur, quin solem adoret, ignem, & aquam colat; atque animantium cruorem comedat. Quicumque ista facere detrectaverit, magistratibus traditus ex ipsorum sententia torqueatur, & pereat.

In Æthiopia, seu in India citeriori circa annum Christi 317. Evangelium prædicarunt Frumentius, & Ædesius, filii cujusdam Meropii Philosophi Tyrii, qui inspiciendorum locorum, & Orbis perlustrandi gratia Indiam adire voluit, habens secum duos puerulos, quorum junior erat Ædesius, alter ætate major Frumentius vocabatur. Sed in reditu, cum ad portum quendam navis, qua vehebatur Meropius, applicuisset, a barbaris occisus est, & duo ejus filii ad Regem ducti sunt. Rex Ædesium Pincernam suum fecit, & Frumentio rationes suas, scriniaque commisit, moriensque uxorem suam cum puerulo filio regni hæredem reliquit: Rogavit utrumque Regina, ut secum, donec puer Regius adoleceret, administrandi regni sollicitudinem partirentur. Qua occasione Frumentius bene usus, negotiatores Romanos, qui Christiani erant, monuit, ut conventicula per loca singula facerent, ipseque aliquas construxit Ecclesias, quo Christiana Religio his in locis latius propagari posset. Frumentius & Ædesius, postquam Regius puer adolevit, reversi sunt, & Frumentius Sanctum Athanasium Episcopum Alexandrinum monuit, ut jam plurimis Ecclesiis in his Regionibus extructis aliquid Episcopum illum mitteret. Quare S. Athanasius ad firmiter stabilendam, & conservandam in India Fidem Christianam, Frumentium Episcopum ordinatum illuc redire iussit, & sic per Frumentium Christiana Religio in Indiæ partibus disseminata, atque propagata fuit.

Gothi, qui ex in insula dicta Scania, seu Scandinavia oriundi in Germaniam irrupentes ultra Danubium sedes suas fixerant, Christianæ Religionis jugo sub finem tertii sæculi colla subdiderunt. Unus ex Episcopis Gothorum gentis interfuit Concilio Nicæno primo. Verum cum apud Gothos plures essent infideles, quam Christiani, contigit, ut Gothi infideles e terris suis expellerent Christianos, quibus Constantinus Magnus aliqua Imperii loca ad habitandum attribuit. Valente postea Imperatore, ortum est bellum Gothos, qui ad Orientem habitabant, & ob id Ostrogothi, idest Orientales Gothi dicebantur, inter & Gothos, qui erant in Occidente, & qui Wisigothi, seu Occidentales Gothi appellabantur. Wisigothis præerat Fridigerus, seu Friugernes, Ostrogothos regebat Athanasius, qui circa annum Christi 370. complures suorum ob Christi nomen crudeliter insectatus est, multos relegavit, multos neci dedit, qui pro Martyribus in Ecclesia celebrantur. Non potuit tamen Athanasius omnes suæ gentis Christianos exterminare, plurimi siquidem in Fidei Christianæ professione perseverarunt: sed Ulphilas illius gentis Episcopus Ariana hæresi infectus pestiferum Arianæ erroris Christianis afflavit, quo factum est, ut Gothi in Ariana hæresi luto hæserint, & a vita fide relicta in errore deinceps fuerint obfir-

mati. De incremento, & propagatione Christianæ Religionis apud alias barbaras Nationes in quarto Ecclesiæ sæculo, cum nihil certi, ac comperiti tradant Historici, nihil impræsentiarum mihi occurrit dicendum.

D. Dum de propagatione Christianæ Religionis in quarto Ecclesiæ sæculo sermonem haberes, subiit animum difficultas, de qua viros eruditos inter se acriter disputantes nuperrime vidi, quo tempore videlicet nostratibus Gallis annunciari coeptum sit Evangelium? asserbant quippe nonnulli, Ecclesias in Galliis dumtaxat fundatas esse tertio sæculo, circa annum videlicet ducentimum quinquagesimum, paulo ante Decii & Grati Consulatum. Exadverso alii pertendebant, Religionem Christianam ante tertium sæculum, immo & ante secundum in Galliis satam ac stabilitam fuisse. Quid tu hac de re sentias paucis aperire ne graveris.

M. Utroque pollice subscribo sententiæ illorum, qui Religionem Christianam ante tertium sæculum in Galliis stabilitam esse affirmant: Atenim, præter Tertullianum, a me jam citatum, qui testatur, suo tempore, hoc est, tertio sæculo, Evangelium per varias Galliarum Provincias promulgatum, fidemque a variis in eo Regno populis susceptam fuisse; Sanctus etiam Irenæus Lugdunensis Episcopus, qui anno circiter centesimo nonagesimo florebat, id non obscure tradit lib. 1. adversus Hæreses c. 31. ubi varias recensens Ecclesias, in quibus eadem traditio fidei viget, hæc habet: *Nam etsi in Mundo loquela dissimiles, sed tamen virtus traditionis una, & eadem est. Et neque hæc, que in Germania fundate sunt Ecclesie aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæc, que in Iberis sunt, neque hæc, que in Celtis, neque hæc, que in Oriente, neque hæc, que in Ægypto, neque hæc, que in Libya, neque hæc, que in medio Mundi sunt constitute.* Fides igitur Christiana jam tempore S. Irenæi per Gallias, quas Celtarum nomine designare voluit S. ille Pater, erat propagata. His duobus antiquis Scriptoribus adjungo S. Cyprianum, qui in Epistola 67. ad S. Stephanum Pontificem data anno 258. ipsum urget, ut scribat ad Galliarum Episcopos, ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianum defecerat, sua communione minime dignentur, sed potius alium, ipso exauctorato, Episcopum constituent: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem littere, quibus abesto Marciano, alius in locum ejus substituat, ut Grex Christi in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus colligatur.* Quibus verbis liquet, tempore S. Cypriani non recens in Galliis fundatas esse Ecclesias, sed jam diu floruisse suis Episcopis, & Romano Pontifici adunatas. Cæterum, an veræ sint istæ traditiones, quibus multi adducuntur, ut credant, venisse in Galliis in primo Ecclesiæ sæculo viros Apostolicos, & in variis illius Regni Provinciis Evangelium prædicasse, Gratianum videlicet Turonensibus, Trophimum Arelatensibus, Paulum Narbonensibus, Mantialem Lemovicensibus, Dionysium Areopagitam Parisiensibus, Saturninum Tolosanum, Lazarum, & Magda-

Magdalenam Massiliensibus, Martham Tarasconensibus; has, inquam, traditiones, quæ circumferuntur, sicut historice, ob multas, quæ occurrunt difficultates, veras esse affirmare non audeo, sic ob gentis nostræ gloriam, eas tanquam omnino falsas explodere, aut improbare non debeo. Sed potius libratis momentis, quæ in utramque partem hæcenus adduxerunt viri eruditi, existimo longe consultius esse nihil palam dicere, aut scribere, quod piam majorum nostrorum opinionem convellere possit. Quapropter huic Colloquio de statu Ecclesiæ in quarto sæculo finem impono.

COLLOQUIUM II.

De Schismatibus, & Hæresibus, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo emerferunt.

M. Dum spes affulgebat, fore ut Christiana Religio, prostrata in universo Romano Imperio Tyrannis, sub Christiano, & piissimo Principe Constantino summa, & diuturna pace potiretur, ecce subito, instigante Diabolo, discordiis intestinis & enatis hinc inde Hæresibus discindi cœpit Ecclesia ab his, qui nomine Christiani perperam gloriabantur. Duorum quippe turbinum procellis, videlicet Schismatibus Donatistarum, & Melesianorum sub Constantino Magno concussa est, ejusque doctrina a variis Hæreticis oppugnata, adeo ut optimo jure cum Propheta lamentari posset Ecclesia: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

D. Incipe, quæso, a Donatistarum Schismate, ejusque exordium, ac progressum breviter expone.

M. Schismatis Donatistarum Historiam scripsit Optatus Milevitanus Episcopus in libris adversus Parmenianum Donatistam. Complures de eodem argumento libros, & epistolas edidit S. Augustinus. Extat etiam collatio Carthaginensis cum Actis purgationis Cæciliani, atque Felicis Aptungitani Episcopi, ex quibus plenissima hauriri potest hujus Schismatis historiae notitia. Nihil fecius tuæ utilitati ut consulam, omnia summam perstringam, quæ ad exordium, atque progressum Donatistarum Schismatis spectant. Florebat in Africa sub finem tertii sæculi Christiana Religio, quam motæ hac illac persecutiones splendidiorem & augustiorem reddiderant, nedum abolere poterant. At funesta Imperatorum Diocletiani & Maximiani Herculei adversus Christianos Edicta anno 303. in Africa publicata, & eo furore executioni fuere mandata, ut Magistratus omni cruciatuum genere cogerent Christianos ad tradendos sacros Codices igne exurendos. Contigit autem, ut Christiani, non solum inter Laicos, sed etiam inter Clericos & Episcopos supplicii fracti, vel quæstionum, pœnarumque metu deterriti, libros & vasa sacra tradiderint, & ideo Traditores in Africa appellati. Quod semen Donatistarum Schismatis postea fuit. Fuerunt e diverso alii Christiani, qui zelo ducti, sed non secundum scientiam, palam & audacius, quam

par esset, professi sunt, penes se habere libros sacros, & Ecclesiæ suppellectilia, ea tamen Ethnicis nullo pacto tradere velle: & isti vitam in tormentis reliquerunt. Denique, alii Christiani longe prudentius se gerentes, libros, & vasa sacra occultarunt, & ne in manu Gentilium venirent, omnem operam dederunt. Deservente anno 305. tam immani persecutione, habita est Cyrtæ in Numidia Synodus Antistitum, ut in ea ageretur causa Traditorum, seu eorum, qui obtemperantes Diocletiani & Maximiani Herculei edicto, divinos Codices, aliaque res sacras Magistratibus tradiderant, aut Idolis thura adoleverant. Secundus Tigistenus Episcopus Numidiæ Primas huic Concilio præfuit, qui, postquam omnes ferme, qui aderant, Episcopos hujus criminis convicisset, ejusdem sceleris vicissim accusatus est a Purpurio Limateni Episcopo, qui reus erat necis filiorum sororis suæ. Quapropter, cum omnes pene isti Episcopi in eadem navi essent, & in eodem clivo insudarent, ne in Ecclesia excitaretur Schisma, Secundo Tigisteno consultius visum est, ut hi, qui istius criminis erant accusati, in communionem Ecclesiæ reciperentur, causa & iudicio soli Deo cordium inspectori relatis. Hujus Synodi Cyrtæ celebratæ & eorum omnium, quæ in ea gesta sunt, meminit Sanctus Augustinus lib. 3. contra Cresconium capitibus 26. 27. & 28. Hæc, quæ hæcenus retuli, præcesserunt Donatistarum Schisma, cui tandem initium dedit ordinatio Majorini in locum Cæciliani Carthaginensis Episcopi, sicut testantur S. Augustinus & Optatus Milevitanus. Sed quo anno contigerit ordinatio Majorini? non est levis difficultas. Baronius ordinationem Majorini, ac subinde Donatistarum Schismatis originem confert in annum Christi 306. Sed hanc Majorini ordinationem melius alii, mea quidem sententia, referunt ad annum Christi 311. quo anno Alexander, qui in Africa tyrannidem anno 307. arripuerat, & per quinquennium Christianos vexavit, idest, usque ad annum 311. fuit debellatus a Maxentio, qui Christianos in Africa pace donavit, sicut diserte asserit Optatus lib. 1. his verbis: *Iisdem temporibus Felix quidem Diaconus, qui propter famosam, nescio quam, de tyranno Imperatore, idest, de Alexandro, qui in Africa tyrannice imperabat, tunc factam epistolam, appellatus est, periculum timens apud Mensurium Episcopum delituisse dicitur, quem cum postularum Mensurium publice denegaret, relatio missa est, rescriptum venit, ut si Mensurium Felicem Diaconum non reddidisset, ad Palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebantur angustias. Erant enim Ecclesie ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terre, nec secum portare poterat. Quas fidelibus senioribus commendavit, commentario facto, quod cuidam ancule dedisse legitur; itaut si ipse non rediret, reddita pace Christianis, ancilla illi daret, quem in Episcopali Cathedra sedentem inveniret. Profectus causam dixit. Jussus est reverti Carthaginem: pervenire non potuit (quia in via decessit) tempestas persecutionis peracta, & definita est. Jubente Deo, Indulgentiam*

mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta. Quibus verbis liquido patet rem illam gestam esse sub Alexandro Africæ tyranno, & pacem, de qua ibidem loquitur Optatus, esse illam pacem, quam Christianis in Africa indulgit Maxentius, postquam anno Christi 311. Alexandrum Africæ tyrannum prostrasset.

Perlata igitur anno 311. in Africam Maxentii indulgentia, qua libertas Christianis reddebatur, de substituendo Episcopo in locum Mensurii Carthaginensis Antistitis, qui, ut mox dixi, decessit in via, agi ceptum est, cumque Carthaginem convenissent vicinarum Urbium Episcopi septuaginta, totius populi suffragio Cæcilianus electus est Carthaginensis Episcopus & a Felice Apyungitano Episcopo ordinatus. At *Bosrus*, & *Celestus*, qui Episcopatum Carthaginensem ambierant, cum se spe sua delusos viderent, ac repulsum passos, adversus Cæcilianum conjurare ceperunt, quorum factionem non solum promovit *Lucilla* potentissima femina (Cæciliano irata, quod ab eo, dum Mensurii Carthaginensis Episcopi Archidiaconus esset, increpita eo nomine fuisset, quod ante communionem os nescio cuius Martyris Sanctorum fastis ab Ecclesia necdum adscripti deocularetur) sed etiam huic factioni vires haud parum addiderunt seniores plebis Catholicae, quibus Mensurius ad Comitatum proficiscens vasa sacra & ornamenta Ecclesiae commendaverat, & quæ ipsi reddere volebant. Scripserunt itaque hi omnes ad Secundum Tigitanum Episcopum Numidiæ Primatem, obnixè petentes, ut cum reliquis Numidiæ Episcopis Carthaginem veniret. Votis eorum annuit Secundus, eoque se contulit cum reliquis Episcopis, qui Cirrensi Concilio interfuerant, quos inter Donatus a casis nigris, Dux & antesignanus illius Donatistarum Factionis. Facto conciliabulo, Cæcilianum ad causam dicendam acciverunt; at Cæcilianus a plebe Catholica retentus ad istud malignantium Concilium non accessit. Quo factum est, ut illi Cæcilianum absentem damnarent, duo ei obijcentes crimina; Primum, quod a *Traditoribus* fuisset ordinatus; Alterum, quod, cum esset Diaconus, victum afferri Martyribus in custodia positus prohibuisset. Post hæc, in locum Cæciliani *Majorinum* Lucilla supra laudatæ mulieris factionissimæ domesticum ordinarunt Carthaginensem Episcopum. Quibus ad hunc modum confectis, litteras quaqua versum per Africam miserunt, quibus reliquos Episcopos adversus Cæcilianum, ejusque collegas a se damnatos incitarent, eosque monerent, ut a Cæciliani ac sociorum ejus, quos *Traditores* esse asserbant, communionem se omnino separarent. Hoc fuit exordium nefarii Donatistarum Schismatis, quod ab ordinatione Majorini in locum Cæciliani incepit, universam postea Africam sic occupavit, ut nec auctoritate Constantini Magni, nec jugi Episcoporum vigilantia, nec adhibita severitate legum comprimere potuerit.

Non multo post ordinationem Majorini, a quo, ut mox dictum est, Donatistarum Schisma sumpsit exordium, Constantinus Magnus, supera-

to Maxentio, Italiam & Africam suo adjunxit Imperio, & confestim ad Cæcilianum, cujus integritatem plane norat, dedit epistolam humanitatis & benevolentiae plenam, quam refert Eusebius lib. 10. Hist. Eccles. cap. 6. Scripsit etiam Constantinus ad *Anulinum* Africæ Proconsulem, cui Cæcilianum injuste a Donatistis vexatum commendavit. Verum, nonnulli in Cæcilianum male affecti adjuncta sibi populi multitudine, *Anulinum* adierunt, eique duos libellos porrexerunt, unum sigillo munitum, qui superscriptus erat hoc modo: *Libellus Ecclesie Catholice criminum Cæciliani iraditus a parte Majorini*; alterum, absque sigillo, in quo ab Imperatore iudices in Galliis postulabant. Ut autem hæc Imperatori innotescerent, *Anulinum* rogarunt, ut hosce libellos ad Principis comitatum mitteret. Quocirca *Anulinus* Imperatorem de his omnibus, missa ad eum relatione, quæ extat apud S. Augustinum epist. 68. juxta antiquum ordinem, certiore fecit. Hanc *Anulini* relationem ubi recepisset Constantinus Imperator, iudicem ad dirimendam hanc litem elegit Romanum Pontificem cum aliis Episcopis Italiae, quibus addidit *Maternum* Agrippinæ, *Rheticum* Augustoduni & *Marinum* Arelates Episcopos, qui omnes Romæ anno 313. in domo Faustæ in Laterano congregati, post maturum & diuturnum causæ examen, Cæcilianum absolverunt, & Donatistas, una cum eorum Principe Donato, damnarunt. Sed ut facilius inter utramque partem iniri posset concordia, concesserunt Episcopis Donatistis, ut, si ad Cæciliani partes sese adungere vellent, in suo honore permanerent, & in locis, in quibus erant duo Episcopi, quorum unus a Cæciliano, alter a Majorino staret, antiquitatis ordinationis ratio haberetur, isque illius loci Episcopus constitueretur, qui in ordinatione antiquior esset; alteri autem Episcopo alia regenda provideretur Ecclesia. Huic iudicio non obtemperarunt Donatistæ, sed quietis impatientes repugnaverunt, omnesque conditiones pacis pertinacissime respuentes, tumultuari in Africa, novaque ceperunt excitare turbas. Appellarunt quippe a Synodo Romana sub Melchiade Papa habita, in qua fuerant damnati, proclamantes iudicium in ea latum injustum esse, se paucorum illorum Episcoporum sententiæ nullo pacto acquiescere velle, & a Constantino Magno majus Episcoporum Concilium intra Gallias exposulare. Ægre quidem tulit Constantinus temeritatem Donatistarum, sed ne illorum magis exasperaret animos, Concilium tandem intra Gallias ipsis concessit. In Civitate itaque Arelatensi anno 314. celebratum est Concilium, cui, ut ait S. Augustinus lib. 1. contra Parmenianum cap. 5. ducenti interfuerunt Episcopi. Baronius affirmat Constantinum interfuisse huic Concilio; negat vero Valesius in Dissertatione de Donatistarum Schismate cap. 9. Ipse cum Cl. Pagio existimo incertum esse, an Constantinus huic Concilio interfuerit. Donatistarum causa diu, multumque disceptata est, & tandem secundum Cæcilianum, damnatum iterum Donatistis, dicta sententia.

Circa hanc Synodum Arelatensem contra Do-

natistas celebratam hæc vulgo solet moveri difficultas: Utrum videlicet nomine *Plenarii Concilii*, in quo quæstio de Baptismo Hæreticorum finita est, Sanctus Augustinus prædictam Synodum Arelatensem, vel Nicænam generalem intellexerit. *Joannes Launojus* existimavit, Sanctum Augustinum *Plenarii Concilii* nomine voluisse indigitare Concilium Arelatense. Ex adverso doctissimus Pater noster *Joannes Nicolai* pro Concilio Generali Nicæno stat, ut videre est in eruditis opusculis ab utroque hac de re editis. Sed nullus dubito, quin præferenda sit sententia Patris Nicolai, maxime cum S. Augustinus nomine *Plenarii Concilii* intelligat Concilium Æcumenicum totius Orbis, & universæ Ecclesie. Certum autem est Concilium Arelatense non fuisse Generale totius Orbis, & universæ Ecclesie. Alioquin non sibi constaret Sanctus Augustinus dum lib. 4. contra Cresconium, & pluribus aliis in locis ait, causam Cæciliani Orbi terrarum, aut saltem plurimis & nobilissimis Catholicis Orbis Ecclesiis, fuisse incognitam, quod sane oppido falsum est, si Concilium Arelatense, quo causa Cæciliani judicata est, fuisset Concilium totius Orbis, & universæ Ecclesie. Quod enim a totius Orbis, & universæ Ecclesie Episcopis in Concilio Plenarii, seu Æcumenico confidentibus solemniter judicatum est, toti Orbi terrarum incognitum nemo recte dixerit. Nominem itaque Plenarii Concilii, in quo quæstionem de Baptismo Hæreticorum finitam esse, sæpius scribit S. Augustinus, Concilium Generale Nicænum celebratum anno 325. intelligendum est.

Discussa breviter hac difficultate, redeamus ad id, unde paululum digressi sumus. Finito Arelatensi Concilio, cum Donatistæ in eo damnati nihil præter moras & tergiversationes, sicut Hæreticis solemne est, quærentes, ad Imperatorem Constantinum denuo provocassent, Mediolanum anno 316. venire jussi sunt, ubi tanquam improbi calumniatores ab Imperatore rejecti sunt, & innocens Cæcilianus declaratus, statimque die 10. Novembris ejusdem anni *Sabini* & *Rufini* Consulatu insignis Constantinus litteras ad *Eumalium* Africæ Vicarium dedit, quibus purgationem Cæciliani, ejusque causæ a se judicatæ exitum significat, ut videre est apud Sanctum Augustinum lib. 3. contra Cresconium cap. 7. Mortuo Majorino, qui Sedem Carthaginensem invaserat, in ejus locum a Donatistis suffectus est quidam *Donatus* diversus plane ab altero Donato de Casis nigris Episcopo in Numidia. Hic autem Donatus successor Majorini suis scriptis Schisma Donatistarum plurimum promovit. Sed cum Donatistæ omnibus modis Catholicos vexare, & laceßere non desisterent, adeo ut Catholici de Donatistarum injuriis apud Magistratus frequentissime conquererentur, coactus est Constantinus legem contra Donatistas severissimam ferre, qua cuncta loca, in quibus congregari solebant, filco vindicavit, sicut ait S. Augustinus epistolis 68. & 165. juxta veterem ordinem, & in lib. 1. adversus Petilianum cap. 92. Illius tamen legis

rigorem Constantinus qui lenitate, & patientia præcipue delectabatur, postea emollivit. Quod in causa fuit, cur plerique Constantinum reprehendendum putarint, quod adversus perduelles Donatistas nimis clementer ageret, sicut optime observat doctissimus Valesius cap. 10. Dissertationis de *Donatistarum Schismate*. Post mortem Constantini Imperatoris, *Constans* ejus filius Africa potitus est, nihilque non egit, ut omni adhibita mansuetudine Donatistæ tandem aliquando respicerent, & relicto Schismate ad Ecclesie gremium reverterentur. Sed frustra. Nam seditiosi in pervicacia Schismatis perseverarunt, tantumque abfuit, ut lenitate *Constantis* Imperatoris correcti ad unitatem, & concordiam Catholicæ communionis redirent, ut potius esserati novos tumultus contra Ecclesiam concitare ceperint. Quare ad refranandam illorum petulantiam *Constans* paternæ pietatis hæres duos Legatos *Paulum* & *Macarium* viros clarissimos in Africam misit, quibus *Circumcelliones*, viri e Secta Donatistarum fariosi, & avidi sui sanguinis & alieni profundendi, facta manu, atque conglomerato agmine, dum totis viribus obistere moliantur, a militibus Proconsulis cæsi sunt. Episcopi Schismatici timore perculsi fugerunt, alii in exilium fuerunt ablegati. Cæteri Donatistæ reconciliati, sicque sancita pax toto *Constantis* & *Constantii* Imperatorum tempore non fuit perturbata. Donatus obiit in exilio ante Imperium *Juliani* Apostatæ, eique circa annum 350. successit *Parmenianus*. Cæcilianus vero e vivis excessit anno 348. eique successit *Gratus*, & *Grato* Restitutus (a).

(a) Quamquam instantibus Donatianis lex a *Juliano* data est de reditu expulsoꝝ propter factiones in religione excitatas quæ favit Donatistis, adhuc tamen generalis fuit pro omnibus exulare ea de causa coactis. Ex quo factum est, ut non minus Donatistis quam Catholicis profuerit. Eadem enim occasione etiam S. Athanasius Antiochiam rediit. En verba anonymi scriptoris a Cl. Maffeo evulgati: *methyr XIV.* (nempe die VIII. Februarii anni 362.) datum est præceptum *Gerontio* Prefecto ejusdem *Juliani* Imperatoris, nec non etiam *Vicarii Modesti* præcipiens Episcopos omnes factionibus antebac circumventos & exiliatos reverti ad suas Civitates & provincias. Hæc autem liere sequenti die *methyr XV.* proposita sunt: postmodum autem & *Prefecti Gerontii* edictum propositum est, per quod vocabatur Episcopus *Athanasius* ad suam reverti Ecclesiam. Ceterum ut de Donatistis aliquid addam, occasione vexationis in eos commotæ cum *Macarius* in Numidiam venit, ejusque mandato sævitum est in illos, habitum est ab Episcopis Donatistis concilium, a quo solemniter Episcoporum missa legatio est ad eundem *Macarium*, ut eum ad misericordiam fleteret, simul tamen etiam ad *Circumcelliones* in schismate & hæresi confirmaret. Memini ego hujus Concilii ex auctore *Passionis* *Marculio*. Vide Supplem. ad Concilia Lab., bei tom. 1. pag. 389.

D. Sic

D. Sic igitur finem habuit Donatistarum Schisma? M. Mortuo Imperatore Constantio, libellum supplicem Juliano Imperatori obtulerunt Donatistae, quo pristinam in libertatem restitui, ablataeque Ecclesiae sibi reddi postularunt, idque nullo negotio ab eo Apostata, qui inter Christianos discordias ferere, ac fovere studebat, obtinuerunt. Quare audaciores facti Africam novis tumultibus perturbarunt, plures Ecclesias occuparunt, & maximam erga Catholicos saevitiam exercuerunt, sicut referunt Optatus lib. 2. pag. 52. & Sanctus Augustinus epist. 68. Contra Donatistas *Valentinianus*, & *Gratianus* Imperatores leges ad eos in ordinem redigendas publicarunt, sed *Gildo Comes*, & utriusque militiae magister, qui teste *Claudio de bello Gildonico* tyrannidem in Africa arripuit anno 396. Donatistis impense favit, eisque impune permisit, ut in Catholicos grassarentur. Mortuo autem *Gildone* anno 398. Imperator *Honorius* legem promulgavit, qua districte prohibuit, ne Donatistae saevirent in Catholicos, & ad componenda diffidia Catholicos inter & Haereticos misit in Africam *Marcellinum* Tribunum, qui anno 411. celeberrimam *Carthagine* collationem indixit, in qua post triduanam disputationem *Marcellinus* pro Tribunali sedens sententiam protulit in gratiam Catholicorum, qui in ea insignem de Donatistis reportarunt victoriam, eisque Donatistarum addidit Ecclesias; Donatistis vero inhibuit, ne conventus deinceps agerent, & illorum Episcopis potestatem fecit proprios repetendi lares, ea tamen lege, ut abjecto Schismate, factique poenitentes Catholicam Communionem amplecterentur. Hujus celeberrimae Collationis Carthagenensis Acta, quae prolixissima sunt, in compendium redegit Sanctus Augustinus, & *Breviculum Collationis* ipsemet appellavit, Verum quia Donatistae hujus Collationis Acta variis mendaciis corrumpere conati sunt, alium librum scripsit Sanctus Augustinus ad ipsos Donatistas Laicos, ne iis incautis sui Episcopi ulterius fucum facerent. Hic S. August. liber hunc praefert titulum: *Post Collationem ad Donatistas*. Sententiae a *Marcellino* in Collatione Carthagenensi latae cum obstinati Donatistae parere nollent, Imperator *Honorius* legem emisit die 30. Januarii anni 412. quo metu honorum proscriptio erga Laicos, & exilii erga Clericos & Episcopos ad Fidem Catholicam Donatistas traducere, eorumque pertinax institutum frangere studuit. Hac Imperatoris lege deterriti Donatistae bene multi e Schismate resilierunt, sed alii in sua pernicacia obstinatius in Catholicos in rabiem acti crudeliter debacchati sunt, sed praecipue in *Marcellinum*, quem odio plusquam *Variniano* prosequabantur. Hunc siquidem coram *Marino*, qui Rempublicam ab *Herculiano* Africae Tyranno liberaverat, accusarunt, quasi a partibus illius Tyranni fecisset. Hinc iussu *Marini* anno 413. *Marcellinus* de Catholicis optime meritis capite plexus occubuit, cujus Elogium pangit Sanctus Augustinus in Epistola ccli. alias cclix. quam direxit ad *Cecilianum* Africae Praesidem. Nihil tamen Donatistis profuit *Marcellini* mors. Nam *Honorius* Imperator, ut famam *Marcellini* vindicaret, le-

gem dedit anno 414. in qua *Marcellinum* *Spei stabilis memoria virum* appellat, gesta etiam eius contra Donatistas confirmat, & decem poenis in Africa Proconsulari, cui tum *Julianus* Proconsul, ad quem lex directa est, praerat, Donatistas subijci jubet. Misit etiam *Honorius* in Africam *Dalcium* Tribunum, qui Laicos Donatistis poenae multam imponendo, Clericis vero, & Episcopis exilii poenam indicendo, hanc Sectam ferme penitus evertit. Legibus contra Donatistas ab Imperatoribus latis novum robur addidit *Theodosius junior* Imperator anno 428. Sed non multo post *Wandali* in Africam irruerunt, eaque potiti, in Catholicos, & in Donatistas promiscue furorem suum exacuerunt. Necdum tamen extinctum est Donatistarum Schisma. Nam sub finem sexti saeculi, quo Clavum Ecclesiae regebat *Gregorius* M. idest, annis fere trecentis ab ordinatione *Majorini*, Schisma Donatistarum adhuc per Africam vigeat, sicut docet Sanctissimus ille Pontifex lib. 1. epist. 75. ad Episcopos Numidiae, lib. 2. epist. 33. lib. 3. epist. 32. & 35. & lib. 5. epist. 36. & 61. Eodem sexto saeculo *Mauritius* Imperator Edicta contra Donatistas publicavit, quae tamen executioni non fuisse tradita conquesti sunt Orthodoxi Africae Ecclesiae Episcopi.

D. Cedo, si placet, Donatistarum errores. Haecenus siquidem illorum Schismatis originem, ac progressum dilucide exposuisti, nullam tamen errorum, quos disseminarunt, mentionem fecisti. M. Donatistae nullum dogma, quod fidei in Symbolo expressae esset directe oppositum docuerunt. Sed temere asserunt, diffusam toto Orbe Ecclesiam, eo quod cum *Ceciliano* communicaret, corruptam defecisse, ac penitus periisse, veramque Ecclesiam in sola Africae Donati parte remansisse. Hinc effutiebant, in sola sua Ecclesia verum esse Baptisma, alibi nullum. Unde Catholicos, qui ad eorum Sectam veniebant, novo Baptismate tingebant, Eucharistiam, seu rem omnino prophanam pedibus conculcabant, canibus projiciebant, & Sacrum Chrisma effundebant, uti refert *Optatus Milevitanus* l. 2. p. 55. Consecrationes, & unctiones, & ordinationes factas a Catholicis, quos impuros, & spurios haereticos Ecclesiae Ministros appellabant, nullas, & invalidas esse pertendebant. Catholicorum Altaria evertiebant, comburebant, conspurcabant, aut sacrilego ritu rodebant, quod sacrificia ab illis oblata autumarent esse impura. Eorum calices confringebant, codices, pallas, & vasa sacra per vim extorquebant, & illorum Communionem averfabantur. Sacras Virgines, quae in Catholica Ecclesia vota emiserant, ad secundam professionem cogebant, postquam illas poenitentiae subiecissent, sicut scribit idem *Optatus* lib. 6. pag. 94. 95. & seq. Monachorum Instituti hostes erant insensibilissimi Donatistae, quos ideo Sanctus Augustinus in Psalm. 132. capit his verbis: *Merito illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum Fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt*. Postremo, Donatistae affirmabant, solos bonos in Ecclesia esse, malos vero ab illius sinu omnino arcebat. Hos Donatistaru-

rum errores multis libris solide confutavit S. Augustinus.

D. Fueruntne Donatistae in aliquas peculiare sectas divisi?

M. Orta super iteratione baptismatis *Tichonium* inter, & *Parmenianum*, ambos insignes Donatistas, dissensione, Donatistae tam in Mauritania, quam in Numidia distracti sunt in plures sectas, quarum aliae, cujusmodi sunt *Urbanistarum* & *Claudianistarum* obscurae fuerunt, vixque impraesentiarum notae. Duae vero praeter ceteris famosae & celebres extiterunt, videlicet *Rogatistarum* & *Maximianistarum*. Secta *Rogatistarum* ortum habuit a *Rogato* Mauritaniae Episcopo. Secta *Maximianistarum* principem habuit *Maximianum* Ecclesiae Carthagenensis Donatistam, qui a *Primiano* Donatista in Episcopatu Carthagenensi *Parmeniani* itidem Donatistae successoris damnatus provocavit ad iudicium Episcoporum Donatistarum Africae, quorum quadraginta tres Carthagenem venerunt, ibique Concilium adversus *Primianum* celebrarunt, in quo tamen nullam in eum tulerunt sententiam. Sed in alio Concilio, quod *Cabarsuffi* anno 393. indixerunt, *Primianum* multorum criminum accusatum damnarunt, deposuerunt, & in ejus locum subrogarunt *Maximianum*, qui a duodecim Episcopis ordinatus est Episcopus Carthagenensis. Utriusque Donatistarum Concilii, *Carthagenensis* nimirum & *Cabarsuffiani* disertam mentionem facit S. Augustinus lib. 4. contra *Cresconium* cap. 6. ubi agens de Donatistarum Conciliis adversus *Primianum* habitis, ait: *Primum, quod apud Carthagenem a quadraginta tribus factum est, quo praedamnatus est Primianus. Alterum, quod Cabarsuffi centum vel amplius vestri tunc Episcopi considerunt, quo perfecte, pleniusque damnatus est. Verum, centum & decem Episcopi Donatistae, qui Primiano adhaerebant, anno sequenti, seu VII. Kal. Maii anni 394. Bagajae in Numidia Concilium celebrarunt, in quo Primianum abolverunt, & Maximianum damnarunt, una cum duodecim Episcopis, a quibus fuerat ordinatus Episcopus. Hoc pacto Donatistae, qui Primianum Ducem sequebantur, Donatistis Maximianistis superiores evaserunt, usque auctoritate Magistratum & Praefectorum eos ab Ecclesiis, quas occupabant, expulerunt.*

D. Fuitne Schisma Donatistarum extra fines Africae propagatum?

M. Tentarunt quidem Donatistae hac illac cursando multos in suam pertrahere sectam. Habuerunt etiam Romae quosdam asseclas, qui *Montenses* dicebantur, eo quod Romae primum Ecclesiam suam habuerint in Monte. Vel, ut alii censent, Romae Donatistae fuerunt *Montenses* appellati, quod in montibus & cavernis, cum nullam in Civitate possent habere Ecclesiam, sua Conventicula peragere cogebantur. Hac de causa S. Hieronymus in Dialogo, adversus *Luciferianos* nuncupat Donatistas, *Campicas*, quod in campis suos coetus colligerent. Pauci tamen extra fines Africae fuerunt Donatistae, eorumque secta in Africa dumtaxat radices agere, ac late propagari potuit.

D. De Schismate Donatistarum abunde dixisti,

perge nunc, quaeso, explicare quid esset Schisma Meletianorum, quod sub Constantino Magno Ecclesiam divexasse in exordio nostri Colloquii observasti.

M. Schisma Meletianorum, quod, teste clarissimo *Pagio*, coepit anno Christi 301. non vero, ut putat *Baronius* anno 306. auctorem habuit *Meletium* Lycopolitanum Episcopum, qui multiplicis sceleris convictus, & praesertim quod, saeviente *Maximino* Imperatoris persecutione, Idolis sacrificasset; gradu Episcopali a *Petro Alexandrino* Patriarcha in communi Episcoporum Synodo dejectus est, sicut scribit S. Athanasius in Apologia pag. 177. recentis editionis a doctissimo *P. Bernardo de Montfaucon* adornatae. Porro, Meletius sua sede depositus non ad aliam Synodum confugit, neque se studuit purgare, sed a *Petri* Patriarchae Alexandrini communionem palam sese subduxit, Schisma conflagravit, ejusque Sectarii dicti sunt *Meletiani*; S. Athanasius in Apologia & in Epistola ad solitarios asserit, Meletianos Christianae doctrinae rudes, accepta pecunia, ad Sacerdotium promovisse. Sed in primis graviter tulerunt Patres Concilii Niceni, quod Meletius varios in Aegypto Episcopos consecrasset, quamvis ex prisca consuetudine nullus alter in Aegypto Episcopus iuribus Metropolitanis frueretur, praeter Patriarcham Alexandrinum. Unde Canone sexto sanxerunt, ut juxta pristinum morem solus Alexandrinus Patriarcha per Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim Metropolitanus haberetur, & ipsi soli jus ordinandi Episcopos esset assertum. *Theodoretus* lib. 7. Hist. Eccles. cap. 3. & lib. 4. Haeretic. fab. cap. 7. ait, Meletianos aemulatos fuisse Judaeorum & Samaritanorum purificationes, & inter psallendum choreas egisse. S. Epiphanius in lib. de Haeresibus asserit, Meletianos veniam denegasse lapsis. Idem testatur S. Damascenus in lib. de Haeresibus, additque, Meletianos sese ad Arianos aggregasse.

D. Praeter haec duo Schismata, Donatistarum videlicet, & Meletianorum, quae imperante Constantino Magno enata sunt, alias divisiones, seu Schismata passa est Ecclesia in quarto saeculo?

M. Praeter haec duo Schismata Donatistarum & Meletianorum, de quibus haecenus egimus, duo alia in quarto Ecclesiae saeculo oborta sunt Schismata, videlicet Schisma Ecclesiae Antiochena, & Schisma Luciferianorum. Sed quia duo postrema illa Schismata post exortam Arianam Haereseum dumtaxat contigerunt, de illis commodius differemus, postquam Arianam Haereseos ortum, atque progressum breviter exposuerimus.

D. Quandoam emerit Ariana Haeresis, & quem habuit progressum?

M. Ariana Haeresis, qua nulla post homines natos magis in Ecclesiam grassata est, & majores in ea excitavit tumultus, initio quidem Alexandri Patriarchae Alexandrini innotescere coepit, sed ante annum 321. in Concilio Alexandrino, cui fere centum Episcopi interfuerunt, ab eodem Patriarcha non fuit damnata. Male auspiciatum nomen traxit haec Haeresis ab auctore Ario Ecclesiae Alexandrinae Presbytero, & ex Lybia oriundo, qui